

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1781

Liber XLI

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1320)

JAM per omnes Orbis terrarum partes SUPPL. I. victricia populus Romanus circumtuleraſt arma, diſſitasque procul & ſejunctas non uno mari regioneſ longe lateque pervaſerat. Sed in tanta fluentium ex voto rerum felicitate moderationiſ tamen adeptuſ laudem, auctoritate magiſ quam imperio pollebat: & apud exteraſ gentes plura conſilio, quam vi & terrore gerere ſe gloriabatur. In devictuſ populoſ regequē non acerbuſ, munificuſ erga ſocioſ, ſibi ſolum victorię decuſ adpetentſ, ſuam regibuſ majeſtatem, populis, vel in æquo, vel etiam in impari fœdere, ſuaſ tamen legeſ, ſua jura libertatemque ſervaverat: atque adeo armis utramque maris Mediterranei oram a Gadibuſ ad Syriam uſque complexuſ, & per immenſoſ terrarum tractuſ reverentia nomini Romano conciliata, ſubjectoſ tamen ditioni ſoloſ habebat Siciliaę, & circumjectarum Italiaę infularum, & præręque Hiſpaniã, jugum tamen nondum dociliſ ferentis cervice, populoſ. Augendę dominationi cauſam materiamque præbuit potiuſ inconſulta hoſtium & æmulorum pravitaſ,

quam ipsius ambitio. Persei in primis Macedoniae regnum per fraudem ac scelus adepti crudelitas in populares omnibus inuisa, vefana inter inmenfas opes avaritia, inconfiderata in capiendis exfequendisque confiliis levitas, & illum pefsumdedere, & quaecumque ftante hoc praecipuo Romanae potentiae velut freno ftare poterant. Redundavit enim in alios ejus casus, nec finitimorum tantum, fed eorum etiam, qui longius remoti erant, ruinam traxit. Macedonum exitium fecuta cum Achaeis Carthago: atque horum cladi- bus convulfo omnium ftatu, reliqua jam imperia, aliquamdiu obnoxia, post paullo everfa, in Romanum imperium cuncta cesserunt. Atque haec, ut locis temporibusque diverfa, ita re conjuncta, sub uno afpectu hic ponere libuit, intuenti imminens mox Romanis a Perfeo bellum, unde initium maxime crefcendi res Romanae cepere. Illud bellum tunc coquebat occultum Perfeus: laceffebant magis quam exercebant Romana arma Ligures & Galli.

U. c. 574.
a C. 178.

M. Junio,
A. Manlio
Cof.
Provincia.

2. M. Junio Bruto, A. Manlio Vulsoni
confulibus decretae ergo provinciae sunt,
Gallia & Ligures: Manlio Gallia, Junio Li-

LIBER XLI SUPPLEMENT. I 7

gures obtigere. Prætoribus, M. Titinio Curvo urbana, Ti. Claudio Neroni peregrina jurisdictionio evenit: P. Ælio Liguri Sicilia, T. Æbutio Caro Sardinia: M. Titinio (duo enim M. Titinii præturam hoc anno gefferunt) Hispania citerior, T. Fonteio Capitori ulterior. Incendium circa forum ortum est, quo & plurima deusta sunt, & Veneris ædes sine ullo vestigio cremata. Vestæ penetralis ignis extinctus. Virgo cujus custodia fuerat, jussu M. Æmilii pontificis maximi flagro cæsa: & supplicationes de more habitæ sunt. Lustrum hoc anno a censoribus M. Æmilio Lepido, M. Fulvio Nobiliore conditum est. Censa sunt civium capita ducenta septuaginta tria millia ducenta quadraginta quatuor.

3. Legati a Perseo Macedonum rege venerunt, postulantes ut rex sociusque & amicus a senatu adpellaretur, foedusque cum eo, quod cum Philippo patre ejus fuerat, renovaretur. Suspectus invisusque erat Romanis Perseus, nec dubitabant plerique, quin bellum a Philippo tot per annos occultis consiliis instructum, ubi primum daretur occasio viresque ei suæ fati placuissent, inlaturus esset. Tamen, ne quietum & pacis studiosum

U. c. 574.
a. C. 178.

Liv. infra
C. 5. & 7.

Cap. 6.
C. 9. & 26.

&
L. XLIII.

Cap. 2.
Infra C.

15.
Jul. Obf.

Epit.
hujus libri.

Jul. Obf.

Epit.
Lustrum
conditum,

Perseus
rex socius
& amicus
a senatu
adpellatus.

Liv. XL.

58. &
XLV. 9.

U. c. 374. laceffisse, belloque causam ipsi dedisse vide-
a. C. 178.

rentur, postulara ei sua concesserunt. Per-
feus hoc accepto responso firmatum jam
omnino sibi regnum existimans, opes apud
Græcos parare statuit. Cupidus ergo com-
parandæ eorum amicitiaë, quotquot æris
alieni causa, aut iudicio condemnati solum
verterant, quique ob maiestatis crimina Ma-
cedonia excefferant, universos in Macedo-
niam revocavit, edictis in insula Delo, ac
Delphis, & in templo Itoniæ Minervæ pa-
lam propositis, quibus non modo impunita-
tem, sed etiam bonorum omnium restitutio-
nem, cum fructibus ab eo tempore, ex quo
quisque exularet, redeuntibus, concedebat.
Sed & iis, qui in Macedonia degebant, quid-
quid debebatur fisco, remisit; cunctosque
ob crimen Maiestatis vincetos liberavit. His
rebus quum multorum animos adrexisset,
Græciam in se convertit omnem & magna
spe implevit. Quin etiam in toto reliquæ
vitæ cultu regiam dignitatem tuebatur. Nam
& species erat honesta, & corpus ad omnia
belli pacisque munia obeunda validum &
habile, & frontis ac supercilii decora maturæ
jam ætati maiestas. Nihil in eo paternæ lasci-

Polyb. ex-
cerpt. de
virt. & vit.

Lib.
XXVI.

Initio reg-
ni multis
Laudibus
commen-
datus.

viæ, effusæque in Venerem & vina libidinis. *U. c. 574.*
 His laudibus Perseus initia principatus com- *a. C. 178.*
 mendabat, haud pares inceptis habitura
 exitus.

4. Antequam prætores ii, qui Hispanias
 fortiti fuerant, in provincias venirent, magna
 res ibi gestæ sunt a Postumio & Graccho.
 Sed Gracchi præcipua laus fuit, qui ætate
 florens, quum virtute animi & prudentia
 æquales omnes multum anteiret, & ingenti
 jam tum fama celebrabatur, & majorem in
 futurum de se spem concitabat. Carabin
 urbem sociam Romanorum viginti millia
 Celtiberorum obpugnabant. Gracchus ad
 opem sociis ferendam properavit. Illa solli-
 citudo angebat, quonam modo consilium suum
 obsessis significaret, tam arcta obsidione pre-
 mentibus urbem hostibus, ut vix eo nuncius
 commeare posse videretur. Arduum negotium
 expeditiv Cominii audacia. Is equitum tur-
 mæ præfectus, re prius apud se perpensa,
 & Graccho quid pararet admonito, Hispanico
 indutus sago, pabulatoribus hostium se in-
 miscuit. Cum his castra ingressus, hinc cursu
 ad urbem contendit, nunciatque adventare
 Tiberium. Oppidani ex ultima desperatione

*Gracchi
 res gestæ in
 Hispania.*

*Diodoro
 apud
 Vales.*

*Appian.
 Iber.*

U. c. 574.
a. C. 178. ad alacritatem atque audaciam hoc nuncio excitati, obfirmatis ad fortiter repugnandum animis, die tertio, adventu Gracchi digressis hostibus, obsidione exempti sunt. Ipse postea Gracchus fraude barbarorum adpetitus, periculum viribus arte adjutis ita discussit, ut dolus in auctores verteret. Complega erat urbs aliquot ante annis condita, sed valida muris & celeribus incrementis aucta, in quam multi Hispanorum concurrerant, qui prius egentes agro huc illuc vagari cogebantur. Ex ea urbe prodeuntes ad viginti hominum millia, supplicum habitu, ramosque oleæ porrigentes, in conspectu castrorum tanquam pacem oraturi confiterunt. Mox abjectis precantium insignibus ex improviso adgressi Romanos, pavore ac tumultu omnia compleverunt. Gracchus sapienti consilio castra per simulationem fugæ deseruit: quæ illi dum solita barbaris aviditate diripiunt, seseque præda præpediunt; reversus subito, & nihil tale metuentes adortus, plurimos cecidit, atque etiam ipsa urbe potitus est. Sunt qui rem aliter narrent: Gracchum, quum comperisset hostem inopia laborare, castra instructissima omnibus esculentis dese-

Frontin.
Stratag. II.
c. 5, n. 14.

ruisse : quæ adeptum hostem , & repertis *U. c. 574.*
 intemperanter repletum gravemque , reducto *a. C. 178.*
 exercitu Romano , subito obpressum esse.

5. Ceterum , sive hæc diversa est ejusdem *Liv. Epit.*
 rei gestæ narratio , sive alia plane res ac *XXI.*
 victoria , complures certe populos Gracchus ,
 atque adeo totam Celtiberorum gentem per-
 domuit. Cepisse eum & evertisse trecentas
 ex illis urbes , quamquam Polybius gravis
 in primis auctor memorat , haud tamen pro
 certo adfirmare ausim ; nisi si urbium nomine
 turres & castella intelligenda sunt : quo men-
 daciæ genere & ipsi bellorum duces , & scrip-
 tores quoque historiarum res gestas exornare
 amant. Nam Hispania quidem arido & incul-
 to solo magnam urbium multitudinem alere
 non potest. Repugnant etiam Hispanorum
 mores , si adcolas nostri maris excipias , feri
 agrestesque , quum civilibus urbium conven-
 tibus mansuetiora fieri soleant hominum in-
 genia. Ceterum quidquid statuendum sit de
 numero aut genere urbium a Sempronio
 captarum , (etenim in numero variant quo-
 que scriptores , & centum quinquaginta alii ,
 alii centum tria oppida ab eo capta memo-
 ravere) magnas certe ille res gessit : nec

Strabo
 L. III. P.
 163.

*Trecentas
 Celtibero-
 rum urbes
 a Graccho
 captas
 Polybius
 memora-
 vit.*

Flor. II.
 17.
 Liv. XL.
 49.
 Appian,
 Iber.

*U. c. 574
a. C. 178*

*Gracchus
egregius
pacis
legumque
modera-
tor.*

bellicis tantum inclaruit laudibus, sed & egregium se pacis legumque moderatorem & arbitrum devictis gentibus præbuit. Nam & divisit inopibus agrum, & sedes ad habitandum assignavit, & omnibus ea loca incolentibus populis leges adcurate descriptas, ex quibus in amicitia ac societate populi Romani viverent, dato acceptoque jurejurando firmavit. Atque hujus quidem fœderis auctoritatem sæpius inploravit sequens ætas in bellis, quæ postea orta sunt. Gracchus monumentum virtutis operumque suorum Gracchurim urbem suo nomine insignem esse voluit, quæ antea Illurcis nominabatur. Postumii rerum fama obscurior est. Vaccæi tamen ab eo & Lusitani subacti sunt, & quadraginta ex his populis hominum millia interfecti. His rebus gestis ambo advenientibus successoribus exercitus ac provincias quum tradidissent, ad triumphum decesserunt.

*Liv. Epit.
XLI.
Festus.*

*Liv. Epit.
XLI.*

*Orof. IV.
20.*

*Liv. infra
C. 7.*

*Res gestæ
Manlii
Cof.
Flor. II.
10.*

I. IN Gallia Manlius consul, cui ea provincia obvenerat, quum triumpho materia deesset, oblatam a fortuna belli adversus Istros movendi occasionem cupide amplexus est. Ætolos pridem bellantes quum adjuvis-

sent Istri, nuper quoque tumultuati fuerant. Præerat tum illis ferocis ingenii rex Epulo, qui gentem] a patre in pace habitam armasse, eoque juventui prædandi cupidæ pergratus esse dicebatur. Consilium de Istrico bello quum haberet consul, alii gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes posent, alii consulendum prius senatum censebant. Vicit sententia, quæ diem non proferebat. Profectus ab Aquileia consul castra ad lacum Timavi posuit; (imminet mari is lacus) eodem decem navibus C. Furius duumvir navalis venit. Adversus Illyriorum classem creati duumviri navales erant, qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam, velut (a) cardinem haberent: inde L. Cornelius dextra litora usque ad Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquileiam tueretur. Eæ naves ad proximum portum in Istriæ fines cum onerariis & magno comæatu missæ: secutusque cum legionibus consul, quinque ferme millia a mari posuit castra. In portu emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra subportabantur. Et, quo id tutius fieret, stationes ab

*U. c. 574,
a. C. 178.*

*Liv. infra
C. II. &
Flor.*

*Istricum
bellum*

(a) *veluti Gron. Crev.*

U. c. 574 omnibus castrorum partibus circumdatæ sunt:
a. C. 178. in Istriamque suum præsidium stativum, repentina cohors Placentina obposita inter mare & castra : & , ut idem aquatoribus ad fluvium esset præsidium, M. Æbutius tribunus militum secundæ legionis duos manipulos militum adjicere jussus est. T. & C. Ælii tribuni militum legionem tertiam, quæ pabulatores & lignatores tueretur, via, quæ Aquileiam fert, duxerant. Ab eadem regione mille ferme passuum castra erant Gallorum : Catmelus (b) pro regulo erat tribus haud (c) amplius millibus armatorum.

*Istri
 tumultum
 creant
 in castris
 Romanis.*

H. ISTRI, ut primum ad lacum Timavi castra sunt Romana mota, ipsi post collem occulto loco confederunt ; & inde obliquis itineribus agmen sequebantur, in omnem occasionem intenti : nec quidquam eos, quæ terra marique agerentur, fallebat. Postquam stationes invalidas esse pro castris, (d) eorum turba inermis frequens inter castra & mare mercantium, sine ullo terrestri aut maritimo munimento, viderunt ; duo simul præsidia, Placentinæ cohortis, & manipulorum secun-

(b) Carmelus Gron. Crev. (c) aut Gron.

(d) Locum sic emendat Gron. *forum turba inermi frequens inter castra & mare mercantium.*

dæ legionis, adgrediuntur. Nebula matutina
 texerat inceptum : qua dilabente ad primum
 teporem solis, perlucens jam aliquid, incerta
 tamen, ut solet, lux, speciem omnium mul-
 tiplicem intuenti reddens, tum quoque frus-
 trata Romanos, multo majorem iis, quam
 erat, hostium aciem ostendit. Qua territi
 utriusque stationis milites ingenti tumultu
 quum in castra confugissent, haud paullo ibi
 plus, quam quod secum ipsi adtulerant,
 terroris fecerunt. Nam neque dicere, quid
 fugissent, nec percunctantibus reddere respon-
 sum poterant : & clamor in portis (ut ubi
 nulla esset statio, quæ sustineret inperum)
 audiebatur : & concursatio in obscuro inci-
 dentium aliorum in alios incertum fecerat,
 an hostis intra vallum esset. Una vox audie-
 batur ad mare vocantium. Id forte temere
 ab uno exclamatum totis passim personabat
 castris. Itaque primo, velut jussi id facere,
 pauci armati, major pars inermes, ad mare
 decurrunt : dein plures, postremo prope om-
 nes, & ipse consul, quum, frustra revocare
 fugientes conatus, nec imperio, nec auctori-
 tate, nec precibus ad extremum, valuisset.
 Unus remansit M. Licinius Strabo, tribunus

U. c. 574.
a. C. 178.

*Romani
 fugiunt ad
 mare.*

U. c. 574.
a. C. 178.

militum tertiæ legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus. Hunc, in vacua castra inpetu facto, Istri, quum alius armatus iis nemo obviam isset, in prætorio instruentem atque hortantem suos obpresserunt. Prælium atrocius, quam pro paucitate resistentium, fuit : nec ante finitum est, quam tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. Prætorio dejecto, direptis, quæ ibi fuerunt, ad quæstorium forum quintanamque hostes pervenerunt. Ibi, quum omnium rerum paratam expositamque copiam, & stratos lectos in quæstorio invenissent, Regulus ad cubans epulari cœpit. Mox idem ceteri omnes, armorum hostiumque obliterati, faciunt : & , ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant.

*Istri
epulantur
in castris
Rom.*

*Trepidatio
Romanorum.*

III. NEQUAQUAM eadem est tum rei forma apud Romanos : terra, mari trepidatur : nautici tabernacula detendunt, commeatumque in litore expositum in naves rapiunt : milites in scaphas & mare territi ruunt : nautæ, metu ne compleantur navigia, alii turbæ obsistunt, alii ab litore naves in altum expellunt. Inde certamen, mox etiam pugna

LIBER XI
pene cum volu
milium naufrag
caulis proci
decernere inde
six mille ducent
erant haberent, p
secum eduxissent
tis turba, velut
la vere futura
Tunc (d) dem
erant revocanda
I simul ex om
demendamque
Tribuni mil
signaque pro
imperant, ut
in ea junctio
erant, imponant
tu pedites secu
spe gloriam le
viciniorum a
de recipi facile
victori subito e
vixit capi. v
demonio nullum
(1) In Cav
Tex. XI.

pugna cum vulneribus & cæde in vicem *U. c. 574.*
 militum nautarumque oritur, donec iussu *a. C. 178.*
 consulis procul a terra classis submota est.
 Secernere inde inermes ab armatis cœpiti.
 Vix mille ducenti ex tanta multitudine, qui
 arma haberent, perpauci equites, qui equos
 secum eduxissent, inventi sunt. Cetera defor-
 mis turba, velut lixarum calorumque, præ-
 da vere futura, si belli hostes meminissent.
 Tunc (d) demum nuncius ad tertiam legio-
 nem revocandam, & Gallorum præsidium:
 & simul ex omnibus locis ad castra recipien-
 da demendamque ignominiam rediri cœptum
 est. Tribuni militum tertiæ legionis pabu-
 lum lignaque projicere jubent: centurioni-
 bus imperant, ut graviore ætate milites bi-
 nos in ea jumenta, ex quibus onera dejecta
 erant, inponant: equites ut singulos e juve-
 nibus pedites secum in equos tollant. « Egre-
 » giam gloriam legionis fore, si castra, metu
 » secundanorum amissa, sua virtute recipiant:
 » & recipi facile esse, si in præda occupati
 » barbari subito obprimantur: sicut ceperint,
 » posse capi. » Summa militum alacritate
 adhortatio audita est. Ferunt citati signa, nec

*Redeunt
 ad castra
 recipien-
 da.*

(d) Tum Crev.

U. c. 574.
a. C. 178.

signiferos armati morantur : priores tamen consul copiæque, quæ a mari reducebantur, ad vallum accefferunt. L. Atius, tribunus primus secundæ legionis, non hortabatur modo milites, sed docebat etiam, « Si victores Istri, quibus armis cepissent castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse, deinde stationes certe pro vallo habituros. Vino somnoque verisimile esse merfos jacere. »

*Et ea recu-
perant.*

IV. SUB hæc A. Bæculonium signiferum suum, notæ fortitudinis virum, inferre signum iussit. Ille, si unum se sequerentur, quo celerius fieret, facturum (e) dixit : connisusque, quum trans vallum signum trajecisset, primus omnium portam intravit. Et parte alia T. & C. Ælii, tribuni militum tertiæ legionis, cum equitatu adveniunt. Confestim, & quos binos oneraria in jumenta inposuerant, secuti, & consul cum toto agmine. At Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores fuerunt fugæ; aliis somno mors continuata est : integraque sua omnia Romani, præterquam quod vini cibi;

(e) *jaçurum* Grev.

que absumtum erat, receperunt. Ægri quoque milites, qui in castris relictis fuerant, postquam intra vallum suos senferunt, armis arreptis, cædem ingentem fecerunt. Ante omnes insignis opera fuit C. Popillii equitis: Sabello cognomen erat. Is, pede faucio relictus, longe plurimos (f) hostium occidit. Ad octo millia Istrorum sunt cæsa, captus nemo, quia ira & indignatio inmemores prædæ fecit. Rex tamen Istrorum, temulentus ex convivio, raptim a suis in equum inpositus, fugit. Ex victoribus ducenti triginta septem milites perierunt; plures in matutina fuga, quam in recipiendis castris.

V. FORTE ita evenit, ut Cn. & L. Gavi-
lii, novelli Aquileienses, cum com-
meatu venientes, ignari prope in capta castra ab
Istris inciderent. Ii, quum Aquileiam, relictis
impedimentis, refugissent, omnia terrore ac
tumultu, non Aquileiæ modo, sed Romæ
quoque post paucos dies, inpleverunt: quo,
non capta tantum castra ab hostibus, nec
fuga, quæ vera erant, sed perditas res dele-
tumque exercitum omnem, adlatum est. Ita-
que, quod in tumultu fieri solet, delectus

*Terror
Romæ.*

(f) plurimum Gron. Crev.

U. c. 574.
a. C. 178.

extra ordinem, non in urbe tantum, sed tota Italia, indicti. Duæ legiones civium Romanorum conscriptæ, & decem millia peditum cum equitibus quingentis fociis nominis Latini imperata. M. Junius consul transire in Galliam, & ab civitatibus provinciæ ejus, quantum quæque posset, militum exigere jussus. Simul decretum, ut Ti. Claudius prætor militibus legionis quartæ, & focium Latini nominis quinque millibus, equitibus ducentis quinquaginta, Pisas ut convenirent, ediceret; eamque provinciam, dum consul inde abesset, tutaretur: M. Titinius prætor legionem primam, parem numerum sociorum peditum equitumque, Ariminum convenire juberet. Nero paludatus Pisas in provinciam est profectus. Titinius, C. Cassio tribuno militum Ariminum, qui præesset legioni, misso, delectum Romæ habuit. M. Junius consul, ex Liguribus in provinciam Galliam transgressus, auxiliis protinus per civitates Galliæ militibusque colonis imperatis, Aquileiam pervenit. Ibi certior factus, exercitum incolumem esse, scriptis literis Romam, ne tumultuarentur, ipse, remissis auxiliis, quæ Gallis imperaverat, ad colle-

gam est profectus. Romæ magna ex necopi-
 nato lætitia fuit : delectus omiffus est : ex-
 auctorati , qui sacramento dixerant : & exer-
 citus , qui Arimini pestilentia adfectus erat ,
 domum dimiffus. Istri , magnis copiis quum
 castra haud procul consulis castris haberent ,
 postquam alterum consulem cum exercitu
 novo advenisse audierunt , passim in civita-
 tes dilapsi sunt : consules Aquileiam in hi-
 berna legiones reducerunt.

U. c. 574.

a. C. 178.

VI. SEDATO tandem Istrico tumultu , se-
 natusconsultum factum est , ut consules in-
 ter se compararent , uter eorum ad comitia
 habenda Romam rediret. Quum absentem
 Manlium tribuni plebis , A. Licinius Nerva
 & C. Papirius Turdus , in concionibus lace-
 rarent , rogationemque promulgarent , ne
 Manlius post Idus Martias (prorogatae nam-
 que consulibus jam in annum provinciæ erant)
 imperium retineret , uti causam extemplo
 dicere , quum abisset magistratu , posset ; huic
 rogationi Q. Ælius collega intercessit , ma-
 gnisque contentionibus obtinuit , ne perfer-
 retur. Per eos dies Ti. Sempronius Gracchus
 & L. Postumius Albinus ex Hispania Romam
 quum revertissent , senatus iis a M. Titinio

*E. c. 574.
a. C. 178.*

*Sardinia
tumultus.*

*Lyciorum
querela.*

prætorè datus in æde Bellonæ ad differendas
(g) res, quas gessissent, postulandosque
honores meritos, ut (h) Diis immortalibus
haberetur honos. Eodem tempore & in Sar-
diniâ magnum tumultum esse, literis T. Æbu-
tiii prætoris cognitum est, quas filius ejus
ad senatum adtulerat. Ilienses, adjunctis Ba-
larorum auxiliis, pacatam provinciam inva-
serant: nec eis invalido exercitu, & magna
parte pestilentia absumto, resisti poterat.
Eadem & Sardorum legati nunciabant; oran-
tes, ut urbibus saltem (jam enim agros de-
ploratos esse) opem senatus ferret. Hæc le-
gatio, totumque quod ad Sardiniam perti-
nebat, ad novos magistratus rejectum est.
Æque miserabilis legatio Lyciorum, qui
crudelitatem Rhodiorum, quibus ab L. Cor-
nelio Scipione adtributi erant, querebantur:
« Fuisse sub ditione Antiochi: eam regiam
» servitutem, conlatam cum præsentî statu,
» præclaram libertatem visam. Non publico
» tantum se premi imperio, sed singulos
» justum pati servitium. Juxta se conjuges
» liberosque vexari: in corpus, in tergum

(g) *edifferendas Crev.*

(h) *& ut Crev.*

a fœviri : famam, quod indignum fit, macu-
 » lari dehoneftarique : & palam res odiofas *U. c. 574.*
 » fieri, juris etiam ufurpandi cauffa; ne pro *a. C. 178.*
 » dubio habeant, nihil inter fe & argento
 » parata mancipia intereffe. » Motus his fe-
 » natus, literas Lyciis ad Rhodios dedit : « nec
 » Lycios Rhodiis, nec ullos alicuiquam, qui
 » nati liberi fint, in fervitutem dari placere.
 » Lycios ita fub Rhodiorum fimul imperio
 » & tutela effe, ut in dirione populi Romani
 » civitates fociaë fint. »

VII. TRIUMPHI deinde ex Hispania duo
 continui acti. Prior Sempronius Gracchus
 de Celtiberis fociisque eorum; poftero die
 L. Postumius de Luſitanis aliisque ejuſdem
 regionis Hispanis triumphavit. Quadraginta
 millia pondo argenti Ti. Gracchus tranſtulit,
 viginti millia Albinus. Militibus denarios
 quinos vicanos, duplex centurioni, triplex
 equiti ambo diviferunt : fociis tantundem,
 quantum Romanis. Per eofdem forte dies
 M. Junius conful ex Iſtria comitiorum cauffa
 Romam venit. Eum quum in ſenatu fatigaf-
 ſent interrogationibus tribuni plebis Papirius
 & Licinius, de his, quæ in Iſtria effent acta,
 in concionem quoque produxerunt. Ad quæ

*Triumphũ
 de
 Hispaniis.*

U. c. 574.
a. C. 178.

quum consul, « se dies non plus undecim » in ea provincia fuisse, » responderet; « quæ » se absente acta essent, se quoque, ut » illos, fama comperta habere; » exsequebantur deinde quærentes, « Quid ita non » potius A. Manlius Romam venisset, ut » rationem redderet populo Romano, cur » ex Gallia provincia, quam fortitus esset, » in Istriam transfisset? quando id bellum » senatus decrevisset, quando id bellum populus Romanus iussisset? At, Hercule, » privato quidem consilio bellum susceptum » esse, sed gestum prudenter fortiterque. » Immo, utrum susceptum sit nequius, an » inconsultius gestum, dici non posse. Stationes duas necopinantes ab Istris obpressas, » castra Romana capta, quod peditum, quod » equitum in castris fuerit. Ceteros inermes » fusosque, ante omnes consulem ipsum, » ad mare ac naves fugisse. Privatum rationem redditurum earum rerum esse, quoniam » niam consul noluisse. »

Comitia.

VIII. COMITIA deinde habita. Consules creati, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus: & postero die prætores facti, P. Ælius Tubero iterum, C. Quinctius Fla-

LIBER

...inus, C. N.
Ca. Cornelius
vius. Tub
peregrina eve
Sardinia: fed
provincia co
fortitur, I
nus Galliar
fortiti sunt
nius Clau
tio tantum
& utriusqu
cis bellum
Sardorum.
erant, L.
us Manlii
am venir. A
tum belli ea
terum &
lini, q
coniles for
tam introi

(1) c. l.
(2) c. l. A
(1) & L.
(2) saig

mininus, C. Numisius, C. (i) Mummius, Cn. Cornelius Scipio, C. (k) Valerius Lævinus. Tuberoni urbana iurisditio, Quintio peregrina evenit, Numisio Sicilia, Mumio *Provincia.* Sardinia: sed ea propter belli magnitudinem provincia consularis facta. Gracchus eam fortitur, Istriam Claudius, Scipio & Lævinus Galliam, in duas divisam provincias, fortiti sunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiusque consulatum inierunt, mentio tantum de provinciis Sardinia Istriaque & utriusque hostibus fuit, qui in his provinciis bellum conscivissent. Postero die legati Sardorum, qui ad novos magistratus dilati erant, L. (l) Minucius Thermus, qui legatus Manlii consulis in Istria fuerat, in senatum venit. Ab his edoctus est senatus, quantum belli eæ provinciæ haberent. Moverunt senatum & legationes socium nominis Latini, quæ & censores & priores consules fatigaverunt (m), tandem in senatum introductæ. Summa querelarum erat,

(i) C. l. L. Crev.

(k) C. l. P. Gron. Crev.

(l) & L. Crev.

(m) fatigaverant Crev;

U. c. 575.

a. C. 177.

C. Claudio, Ti.

Sempronio

Coss.

U. e. 575.

a. C. 177.

*Latinorum
querelæ.*

« Cives suos Romæ censos plerosque Ro-
» mam commigrasse. Quod si permittatur,
» perpauca lustris futurum, ut deserta oppi-
» da, deserti agri, nullum militem dare pos-
» sent. » Fregellas quoque millia quatuor
familiarum transisse ab se, Samnites Peligni-
que querebantur: neque eo minus aut hos
aut illos (n) in delectum militum dare. Ge-
nera autem fraudis duo mutandæ viritim civi-
tatis inducta erant. Lex fociis ac nominis
Latini, qui stirpem ex sese domi relinque-
rent, dabat, ut cives Romani fierent. Ea lege
male utendo, alii fociis, alii populo Ro-
mano injuriam faciebant. Nam &, ne stir-
pem domi relinquerent, liberos suos quibus-
quibus Romanis in eam conditionem, ut
manumitterentur, mancipio dabant, liberti-
nique cives essent: & quibus stirpes (o)
deesset, quam relinquerent, ut (p) cives Ro-
mani fiebant. Postea, his quoque imagini-
bus juris spretis, promiscue sine lege, sine
stirpe, in civitatem Romanam per migratio-
nem & censum transibant. « Hæc ne postea
» fierent, [petebant legati,] & ut redire in
» civitates juberent focios; deinde ut lege

(n) illos plus Gron. (o) stirps Gron.

(p) ut l. ii Gron.

» caverent, ne quis quem civitatis mutandæ *U. c. 575.*
 » caussa suam faceret, neve alienaret : & , *a. C. 177.*
 » si quis ita civis Romanus factus esset * ,
 » civis ne esset. » Hæc impetrata ab senatu.

IX. PROVINCIÆ deinde, quæ in bello
 erant, Sardinia atque Iftria decretæ. In Sar-
 diniam duæ legiones scribi jussæ; quina mil- *Exercitus:*
 lia in singulas & duceni pedites, treceni
 equites, & duodecim millia peditum focio-
 rum ac Latini nominis, & sexcenti equites,
 & decem quinqueremes naves, si deducere
 ex navalibus vellet. Tantundem peditum
 equitumque in Iftriam, quantum in Sardi-
 niam, decretum. Et legionem unam cum
 equitibus trecentis, & quinque millia peditum
 fociorum, & ducentos quinquaginta mittere
 equites in Hispaniam consules ad M. Titi-
 nium jussi. Priusquam consules provincias *Prodigia.*
 fortirentur, prodigia nunciata sunt. Lapidem
 in agro Crustumino in lacum Martis de cælo
 cecidisse. Puerum trunci corporis in agro
 Romano natum : & quadrupedem anguem
 visum : & Capuæ multa in foro ædificia de
 cælo tacta : & Puteolis duas naves fulminis

* Tria vocabula sequentia adjecta sunt ex mente
 Sigonii, ut expleretur sensus.

U. c. 575.
a. C. 177.

Lxx
de
Latinis.

ictu concrematas esse. Inter hæc, quæ nunciabantur, lupus etiam Romæ interdum agitat, quum Collina porta intrasset, per Esquilinam magno confectantium tumultu evasit. Eorum prodigiorum causa consules majores hostias inmolarunt, & diem unum circa omnia pulvinaria supplicatio fuit. Sacrificiis rite perfectis, provincias sortiti sunt: Claudio Istria, Sempronio Sardinia obvenit. Legem dein (q) de focis C. Claudius tulit senatusconsulto, & edixit: « Qui focii ac » nominis Latini, ipsi majoresve eorum, » M. Claudio, T. Quintio censoribus, post- » que ea, apud focios nominis Latini censi » essent, ut omnes in suam quisque civita- » tem ante Kalendas Novembres redirent. » Quæstio, qui ita non redissent, L. Mummio prætori decreta est. Ad legem & edictum consulis senatusconsultum adjectum est: « ut, » dictator, consul, interrex, censor, prætor » qui nunc esset, apud eorum quem manu- » mitteretur, in libertatem vindicaretur, » (r) ut jusjurandum daret, qui eum ma-

(q) deinde conjunctim Gros. 3: *non otios*

(r) Crev. locum hunc ira legit: *ut dictator, consul, interrex, censor, prætor qui tunc esset, apud eorum quem, qui manumitteretur, in libertatem vindicaretur.*

» numitteret, civitatis mutandæ causa manu
 » non mittere : » quid id non juraret, eum
 manumittendum non censuerunt. Hæc in
 posterum causa jurisque dictio C. Claudio
 consuli decreta est.

X. DUM hæc Romæ geruntur, M. Junius
 & A. Manlius, qui priore anno consules
 fuerant, quum Aquileiæ hibernassent, prin-
 cipio veris in fines Istrorum exercitum intro-
 duxerunt : ubi quum effuse popularentur,
 dolor magis & indignatio diripi res suas cer-
 nentes Istros, quam certa spes, satis sibi
 virium adversus duos exercitus, excivit.
 Concurfu ex omnibus populis juventutis facto,
 repentinus & tumultuarius exercitus acrius
 primo inpetu, quam perseverantius, pugna-
 vit. Ad quatuor millia eorum in acie cæsa :
 ceteri, omisso bello, in civitates passim dif-
 fugerunt. Inde legatos primum ad pacem pe-
 tendam in castra Romana, deinde obsides im-
 peratos, miserunt. Hæc quum Romæ cognita
 literis proconsulum essent, C. Claudius con-
 sul, veritus, ne forte ea res provinciam
 exercitumque sibi adimeret; non votis nun-
 cupatis, non paludatus, sine licitoribus, uno

*U. c. 575.
 a. C. 177.*

*Res
 in Istria
 gesta
 a
 Romanis.*

U. e. 575. omnium certiore facto collega, nocte profectus, præceps in provinciam abiit : ubi inconsultius, quam venerat, se gessit. Nam, quum concione advocata fugam e castris A. Manlii adversis auribus militum (quippe qui primi ipsi fugissent) jactasset; ingessissetque probra M. Junio, quod se dedecoris socium collegæ fecisset; ad extremum utrumque decedere provincia jussit. Quod quum milites consulis imperio dicto audientes futuros esse (u) dicerent, quum is more majorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, paludatus profectus ab urbe esset; furens ira, vocatum, qui pro quæstore Manlii erat, catenas poposcit, vinctos se Junium Manliumque minitans Romam missurum. Ab eo quoque spretum consulis imperium est : & circumfusus exercitus, favens imperatorum causæ, & consuli infestus, animos ad non parendum addebat. Postremo fatigatus consul & contumeliis singulorum, & multitudinis (nam insuper inridebant) ludibrii, nave eadem, qua venerat, Aquileiam rediit. Inde collegæ scripsit, ut militum novorum ei parti, quæ scripta in Istriam

(u) sese Gron. Crev.

provinciam esset, ediceret, Aquileiam ut *U. c. 575.*
 conveniret; ne quid se Romæ teneret, quo *a. C. 177.*
 minus, votis nuncupatis, paludatus ab urbe
 exiret. Hæc collegæ obsequenter facta, bre-
 visque dies ad conveniendum edicta est.
 Claudius prope consecutus est literas suas.
 Concione adveniens de Manlio & Junio ha-
 bita, non ultra triduum moratus Romæ,
 paludatus, cum lictoribus, votisque in Ca-
 pitolio nuncupatis, in provinciam, æque ac
 prius, præcipiti celeritate abijt.

XI. PAUCIS ante diebus Junius Manlius-
 que oppidum Nefattium (v), quo se prin-
 cipes Istrorum & Regulus ipse Æpulo rece-
 perat, summa vi obpugnarunt. Eo Claudius
 duabus legionibus novis adductis, vetere
 exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse
 oppidum circumfedit, & vineis obpugnare
 intendit: amnemque præterfluentem mœnia,
 qui & inpedimento obpugnantibus erat,
 & aquationem Istris præbebat, multorum
 dierum opere exceptum novo alveo avertit.
 Ea res barbaros miraculo terruit abscisæ (x)
 aquæ: & ne tum quidem memores pacis.

*Nefattium
 Claudius
 Cos.
 obsidet.*

(v) *Nefattium* Crev.

(x) *abscisæ* Gron. Crev.

U. c. 575.
a. C. 177.

*Furor
Oppidano-
rum.*

in cædem conjugum ac liberorum versi, etiam, ut spectaculo hostibus tam fœdum facinus esset, palam in muris trucidatos præcipitabant. Inter simul complorationem feminarum puerorumque, simul nefandam cædem, milites, transgressi murum, oppidum intrarunt. Cujus capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur: ceteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida, Mutila & Faveria, vi capta & deleta. Præda, ut in gente inopi, spe major fuit, & omnis militibus concessa est. Quinque millia capitum, sexcenta triginta duo sub corona venierunt. Auctores belli virgis cæsi, & securi percussi. Istria tota trium oppidorum excidio & morte regis pacata est: omnesque undique populi, obsidibus datis, in ditionem venerunt. Sub Istrici finem belli apud Ligures concilia de bello haberi cœpta.

*Istria
pacata.*

XII. TI. CLAUDIUS proconsul, qui prætor priore anno fuerat, cum præsidio legionis unius Pisis præerat. Cujus literis senatus certior factus, eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter consul jam in Sardiniam trajecerat) deferendas censet: & adjicit decre-

decretum; « quoniam Istria provincia con-
 »fecta esset, si ei videretur, exercitum tra-
 »duceret in Ligures. » Simul ex litteris con-
 sulis, quas de rebus in Istria gestis scripse-
 rat, in biduum supplicatio decreta. Et ab
 altero consule Ti. Sempronio in Sardinia
 prospere res gestæ. Exercitum in agrum
 Sardonum Iliensium induxit. Balarorum magna
 auxilia Iliensibus venerant. Cum utraque gen-
 te signis conlatis conflixit. Fusi fugatique
 hostes, castrisque exuti: duodecim millia
 armatorum cæsa. Postero die arma lecta con-
 jici in acervum jussit consul, sacrumque id
 Vulcanò cremavit. Victorem exercitum in
 hiberna sociarum urbium reduxit. Et C. Clau-
 dius, literis Ti. Claudii & senatusconsulto
 accepto, ex Istria legiones in Ligures tran-
 duxit. Ad Scultennam flumen in campos
 progressi castra habebant hostes. Ibi cum his
 acie dimicatum. Quindecim millia cæsa; plus
 septingenti aut (y) in proelio, aut in castris
 (nam ea quoque expugnata sunt) capti: &
 signa militaria unum & quinquaginta capta.
 Ligures, reliquæ cædis, in montes refuge-
 runt passim: populantique campestris agros
 (y) aut del. Gron. Crev.

Tom. XI,

U. a. 375.
 a. C. 177.

Res in
 Sardinia
 gestæ.

Ligures
 victi
 a Claudio
 Cos.

G

U. c. 575. consuli nulla usquam adparuerunt arma. *a. C. 177.* Claudius, duarum gentium uno anno victor, duabus, quod raro alius, in consulatu pacatis provinciis, Romam revertit.

Prodigia. XIII. PRODIGIA eo anno nunciata. In Crustumino avem sangualem (quam vocant) sacrum lapidem rostro cecidisse. Bovem in Campania locutum. Vaccam æneam Syracusis ab agresti tauro, qui pecore aberrasset, initam, ac femine adpersam. In Crustumino diem unum in ipso loco supplicatio fuit: & in Campania bos alenda publice data: Syracusanumque prodigium expiatum, editis ab aruspibus Diis, quibus supplicaretur. Pontifex eo anno mortuus est M. Claudius Marcellus, qui consul censorque fuerat. In ejus locum subfectus est pontifex filius ejus M. Marcellus. Et Lunam (2) colonia eodem anno duomillia civium Romanorum sunt deducta. Triumviri deduxerunt, P. Ælius, L. Egilius, Cn. Sicinius. Quinquagena & singula jugera & semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat. Etruscorum ante, quam Ligurum, fuerat. C. Claudius consul ad urbem venit: cui, quum in senatu de

Luna colonia.

Claudii triumphus.

(2) *Lucam Gron. Crev.*

rebus in Istria Liguribusque prospere gestis *V. s. 575.*
 differuisset, postulanti triumphus est decre- *a. C. 177.*
 tus. Triumphavit in magistratu de duabus
 simul gentibus. Tulit in eo triumpho dena-
 rium trecenta septem millia, & victoriatum
 octoginta quinque millia septingentos duos.
 Militibus in singulos quini deni denarii dati:
 duplex centurioni, triplex equiti. Sociis di-
 midio minus, quam civibus, datum. Itaque
 taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt
 currum.

XIV. DUM is triumphus de Liguribus age-
 batur, Ligures, postquam senserunt, non
 consularem tantum exercitum Romam ab-
 ductum, sed legionem ab Ti. Claudio Pisis
 dimissam, soluti metu, clam exercitu indicto,
 per transversos limites superatis montibus,
 in campos degressi, agrum Mutinensem po-
 pulati, repentino inpetu coloniam ipsam ce-
 perunt. Id ubi Romam adlatum est, senatus
 C. Claudium consulem comitia primo quo-
 que tempore habere iussit, creatisque in an-
 num magistratibus in provinciam redire, &
 coloniam ex hostibus eripere. Ita, uti cen-
 suit senatus, comitia habita. Consules creati,
 Cn. Cornelius Scipio Hispallus, Q. Peril-

*Ligures
 rebellant.*

Comitia.

lius Spurius. Prætores inde facti, M. Popilius Lænas, P. Licinius Craſſus, M. Cornelius Scipio, L. Papius Maſo, M. Aburius, L. Aquillius Gallus. C. Claudio conſuli prorogatum in annum imperium, & Gallia provincia: &, ne Iſtri quoque idem, quod & Ligures, facerent, ſocios nominis Latini in Iſtriam mitteret, quos triumphus cauſa de provincia deduxiſſet. Cn. Cornelio & Q. Petillio conſulibus, quo die magiſtratum inierunt, inmolantibus Jovi ſingulis bubus uti ſolet, in ea hoſtia, qua Q. Petillius ſacrificavit, in jocinore caput non inventum. Id quum ad ſenatum retuliſſet, bove perlitare juſſus. De provinciis deinde conſultus ſenatus Piſas & Ligures provincias conſulibus decrevit. Cui Piſæ provincia obveniſſet, quum magiſtratum creandorum tempus eſſet, ad comitia reverti juſſit. Additum decreto, ut binas legiones novas ſcriberent, & trecentos (a) equites: & dena millia peditum ſociis nominique Latino, & ſexcentos (b) imperarent equites. Ti. Claudio prorogatum eſt imperium in id tempus, quo in provinciam conſul veniſſet.

(a) trecentos Gron. Crev.

(b) ſexcentos Gron. Crev.

U. s. 576.

a. C. 176.

Cn. Cornelio,
Q. Petillio
Coſſ.

XV. Dum de his rebus in senatu agitur, *U. c. 176.*
a. C. 176.
 Cn. Cornelius, evocatus a viatore, quum
 templo egressus esset, paulo post rediit
 confuso vultu, & exposuit Patribus con-
 scriptis, bovis fescenaris, quem inmolavisset,
 jecur defluxisse. Id se victimario nuncianti
 parum credentem, ipsum aquam effundi ex
 olla, ubi exta coquerentur, jussisse: & vi-
 disse ceteram integram partem extorum, je-
 cur omne inenarrabiliter absumtum. Territis
 eo prodigio Patribus, & alter consul curam
 adjecit: qui se, quod caput jocinori defuisset,
 tribus bubus perlitasse negavit. Senatus
 majoribus hostiis usque ad litationem sacri-
 ficari jussit. Ceteris Diis perlitatum ferunt:
 Saluti Perillium perlitasse negant. Inde con-
 sules prætoresque provincias sortiti. Pisæ *Provincia.*
 Cn. Cornelio, Ligures Perillio obvenerunt.
 Prætores, L. Papirius Maso urbanam, M.
 Aburius inter peregrinos, sortiti sunt. M.
 Cornelius Scipio Maluginensis Hispaniam
 ulteriorem, L. Aquillius Gallus Siciliam
 habuit. Duo deprecati sunt, ne in provin-
 cias irent: M. Popillius in Sardiniam. « Grac-
 » chum eam provinciam pacare, & T. Æbu-
 » rium prætorem adiutorem ab senatu datum

U. c. 576. » esse. Interrumpi tenorem rerum, in quibus
a. C. 176. » peragendis continuatio ipsa efficacissima
 » esset, minime convenire. Inter traditionem
 » imperii novitatemque successoris, quæ
 » noscendis prius, quam agendis, rebus im-
 » buenda sit, sæpe bene gerendæ rei occa-
 » siones intercidere.» Probata Popillii excu-
 satio est. P. Licinius Crassus sacrificiis se
 inpediri sollemnibus excusabat, ne in pro-
 vinciam iret. Citerior Hispania obvenerat.
 Ceterum aut ire jussus, aut jurare pro con-
 cione, sollemni sacrificio se prohiberi. Id
 ubi in P. Licinio ita statutum est, & ab se
 uti jusjurandum acciperent, M. Cornelius
 postulavit, ne in Hispaniam ulteriorem iret.
 Prætores ambo in eadem verba jurejurarunt.
 M. Titinius & T. Fonteius proconsules ma-
 nere cum eodem imperii jure in Hispania
 jussi: & ut in supplementum his tria millia
 civium Romanorum cum equitibus ducen-
 tis, quinque millia focium Latini nominis &
 trecenti equites mitterentur.

XVI. LATINÆ feriæ fuere ante diem ter-
 tium Nonas Maii, in quibus, quia in una
 hostia magistratus Lanuvinus precatus non
 erat, « populo Romano Quiritium, religionis

fuit. Id quum ad senatum relatum esset, fenatusque ad pontificum collegium rejecisset; pontificibus, quia non recte factæ Latinæ essent, instauratis Latinis, placuit Lanuvinos, quorum opera instauratæ essent, hostias præbere. Accesserat ad religionem, quod Cn. Cornelius consul, ex monte Albano rediens, concidit: & parte membrorum captus, ad Aquas Cumanas profectus, ingravescente morbo, Cumis decessit. Sed inde mortuus Romam adlatus, & funere magnifico elatus sepultusque est. Pontifex idem fuerat. Consul Q. Petillius, quum primum per auspicia posset, collegæ subrogando comitia habere iussus, & Latinas edicere. Comitia in ante diem tertium Nonas Sextiles, Latinas in ante diem tertium Idus Sextiles edixit. Plenis religionum animis, prodigia insuper nunciata: Tusculi facem in cœlo visam; Gabiis ædem Apollinis & privata ædificia complura, Graviscis murum portamque de cœlo tacta. Ea patres procurari, uti pontifices censuissent, iusserunt. Dum consules primum religiones, deinde alterum alterius mors, & comitia, & Latinarum instauraciones impediant, interim C. Claudius exercitum ad

*U. c. 576.
a. C. 176.*

*Cornelii
Cof. mors.*

Prodigia.

*U. e. 576.
a. C. 176.*

Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. Ante triduum, quam obpugnare cœperat, receptam ex hostibus colonis restituit. Octo millia ibi Ligurum intra muros cæsa; literæque Romam extemplo scriptæ, quibus non modo rem exponeret, sed etiam gloriaretur, sua virtute ac felicitate neminem jam cis Alpes hostem populi Romani: agrique aliquantum captum, qui multis millibus hominum dividi viritim posset.

*Sardinia
pacata.*

XVII. Et Ti. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis secundis præliis Sardos perdomuit. Quindecim millia hostium sunt cæsa. Omnes Sardorum populi, qui defece- rant, in ditionem redacti. Stipendiariis veteribus duplex vestigal imperatum, exactumque: ceteri frumentum contulerunt. Pacata provincia, obsidibusque ex tota insula ducentis triginta acceptis, legati Romam, qui ea nunciarent, missi; quique ab senatu peterent, ut ob eas res, ductu auspicioque Ti. Sempronii prospere gestas, Diis immortalibus honos haberetur, ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret. Senatus, in æde Apollinis legatorum verbis auditis, supplicationem in biduum decrevit,

LIBER XLI CAP. XVIII 41

& quadraginta majoribus hostiis consules *U. c. 576.*
 sacrificare iussit : Ti. Sempronium proconsulem *a. C. 176.*
 exercitumque eo anno in provincia manere. Comitia deinde consulis unius subrogandi, quæ in ante diem tertium Nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt confecta.

Q. Petillius consul collegam, qui extemplo *Cof. subrogatus.*
 magistratum occiperet, creavit C. Valerium Lævinum. Is, jam diu cupidus provinciæ, quum obportunæ cupiditati ejus literæ adlatæ essent, Ligures rebellasse, Nonis Sextilibus paludatus, literis auditis, tumultus ejus causa legionem tertiam ad C. Claudium proconsulem in Galliam proficisci iussit ; & duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. Eodem & Q. Petillius consul ad conveniendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius proconsul, audita rebellionem Ligurum, præter eas copias, quas secum Parmæ habebat, subitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admovit.

XVIII. HOSTES sub adventum C. Claudii, *Res in Liguria gesta.*
 a quo duce se meminerant nuper ad Scultennam flumen victos fugatosque, locorum

V. c. 576.
a. C. 176.

magis præsidio adversus infeliciter expertam vim, quam armis, se defensuri, duos montes Letum & Balistam ceperunt, muroque insuper amplexi. Tardius ex agris demigrantes obpressi ad mille & quingentos perierunt. Ceteri montibus se tenebant, &, ne in metu quidem feritatis ingenitæ oblitæ, sæviunt in prædam, quæ Mutinæ parta erat. Captivos cum sæda laceratione interficiunt: pecora in fanis trucidant verius passim, quam rite sacrificant. Satiati cæde animantium, quæ inanima erant, parietibus adfigunt (c), vasa omnis generis usui magis, quam ornamento in speciem, facta. Q. Petillius consul, ne absente se debellaretur, literas ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret: campis Macris se eum expectaturum. Literis acceptis, Claudius ex Liguribus castra movit, exercitumque ad campos Macros consuli tradidit. Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit. Ibi, divisæ copiis, priusquam digrederentur, communiter ambo exercitus iustraverunt. Tum fortiti, quia non ab eadem utrumque parte adgredi hostem placebat, regiones quas pete-

(c) affigunt Gron.

terent. Valerium auspicato sortitum constat, *U. c. 576.*
a. C. 176.
 (d) quod in templo fuisset : in Petillio id
 vitio factum, postea augures responderunt ;
 quod extra templum fortem in sitellam in
 templum latam foris ipse posuerit. Profecti
 inde in diversas regiones. Petillius adversus
 Balistæ & Leti jugum, quod eos montes
 perpetuo dorso inter se jungit, castra habuit.
 Ibi adhortantem eum pro concione milites,
 inmemorem ambiguitatis verbi, ominatum
 ferunt, « se eo die Letum capturum esse. »
 Duabus simul partibus subire in adversos
 montes cœpit. Ea pars, in qua ipse erat,
 impigre subcedebat. Alteram hostes quum
 propulissent, ut restitueret rem inclinam,
 consul equo advectus, suos quidem a fuga
 revocavit : ipse, dum incautius ante signa
 obversatur, missili trajectus cecidit. Nec
 hostes ducem occisum senserunt ; & suorum
 pauci, qui viderant, haud neglegenter, ut
 qui in eo victoriam verti scirent, corpus
 occultavere. Alia multitudo peditum equi-
 tumque, deturbatis hostibus, montes sine
 duce cepere. Ad quinque millia Ligurum
 occisa : ex Romano exercitu duo & quinqua-

Petillius
Cof.
occisus.

(d) constat Gron. Crev.

U. c. 576. ginta ceciderunt. Super tam evidentem triffis
a. C. 176. ominus eventum, etiam ex pullario auditum

SUPPL. II. est, vitium in auspicio fuisse; nec id consu-
 lem ignorasse. C. Valerius, audita [morte Q.
 Petillii, exercitum sine duce relictum ad

Pigh. Ann. suas copias adjunxit, iterumque adgressus
Rom. hostes, eorum sanguine collegæ manibus
Val. Max. egregie parentavit. Triumphavit de Liguri-
II. 7. bus. In legionem cujus ante signa consul oc-

Senatus in cificus erat, severe ab senatu animadversum
milites Pe- est. Ei universæ neque stipendium anni pro-
tillii (of. cedere, neque æra dari placuit, quia pro
leveritas. salute imperatoris, hostium telis se non ob-

Legatio
Dardano-
rum.

rum, quos ingens Bastarnarum exercitus,
 Clondico duce, ut ante memoravimus, pre-

Liv. XL. mebat, Romam venire. Qui quum de Bastar-
58. nis exposuissent, quanta esset eorum multi-
Polyb. tudo, quam procera & immania corpora,
Legat. 62. quanta in periculis audacia, adjecerunt socie-

tatem iis esse cum Perseo, & vero eum
 majori sibi, quam Bastarnas ipsos, esse ter-
 rori: ac proinde, ut auxilium sibi ferretur,
 ab senatu postularunt. Patres decreverunt
 mittendos esse legatos, qui Macedoniæ res
 inspicerent: & statim A. Postumio nego-

Legati
Rom. in
Macedo-
niam.

tium datum, ut eo proficisceretur. Collegas
 ei adjunxerunt e junioribus, ut penes eum
 præcipua esset legationis vis & auctoritas.
 Inde actum de comitiis magistratuum in inse-
 quentem annum: qua de re non mediocris
 disceptatio incidit, quod] periti religionum
 jurisque publici, quando duo ordinarii con-
 sules ejus anni, alter morbo, alter ferro
 periisset, subfectum consulem negabant recte
 (e) comitia habere posse. [Res ad interreg-
 num rediit. Creati consules per interregem
 P. Mucius Scævola, M. Æmilius Lepidus
 iterum. Prætores inde facti sunt C. Popillius
 Lænas, T. Annius Luscus, C. Memmius
 Gallus, C. Cluvius Saxula, Ser. Cornelius
 Sulla, Ap. Claudius Centho. Consulibus pro-
 vincia obtigere Gallia & Ligures. Prætorum
 Cornelius Sulla Sardiniam obtinuit, Claudius
 Centho citeriorem Hispaniam. Reliquæ præ-
 toria provincia quibus evenerint, non exstat
 memoria. Annus hic pestilentia infamis,
 quæ tamen in armenta tantum grassata est.
 Ligures, gens semper victa, semper rebel-
 lans, Lunam Pisasque depopulati fuerant.
 Simul & Gallicus tumultus increpuerat. Le-

U. e. 576.
 a. C. 176.

Comitia.

Facti Ca-
 pit.
 Pigh. Ann.
 Rom.

U. e. 577.
 a. C. 175.

P. Mucio,
 M. Æmi-
 lio II.
 Coss.
 Liv. infrâ
 C. 19.
 c. 21 & 26.

C. 21.

Cap. 19.

(e) recte del. Gron. Crev.

*Res gesta
consulum
in
Gallia
&
Liguribus.*

L. XL. C.
38. 41. &
53.

pidus Gallorum motu facile compresso, in Ligures transcendit. Aliquot populi sese ejus arbitrio permiserunt: quos, ut sunt fere similia locis cultorum ingenia, asperis montium jugis, quæ incolebant, efferari ratus, quorundam ante se consulum exemplo, in plana] deduxit.]

XIX. Cis Apenninum Garuli, & Lopicini, & Hercates; trans Apenninum Briniates fuerant. Inter Audenam amnem P. Mucius cum iis, qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit: omnibusque in ditionem redactis arma ademit. Ob eas res, in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque, senatus in triduum supplicationes decrevit, & quadraginta hostiis sacrificari iussit. Et tumultus quidem Gallicus & Ligustinus, qui principio ejus anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi obpressus erat. Belli Macedonici subibat jam cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina: & legati, qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, jam reverterant Romam, renunciaverantque, bellum in Dardania esse. Simul venerant & ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec aditos ab eo

*Bellum
inter
Dardanos
&
Bastarnas.*

Bastarnas, nec auctore eo quidquam facere. *U. c. 577.*
 Senatus nec liberavit ejus culpæ regem, *a. C. 175.*
 neque arguit: moneri eum tantummodo
 jussit, ut etiã atque etiã curaret, ut
 sanctum haberet fœdus, quod ei cum Roma-
 nis esse videri posset. Dardani, quum Bastar-
 nas non modo non excedere finibus suis,
 quod speraverant, sed graviores fieri in dies
 cernerent, subnifos Thracum adcolarum &
 Scordifcorum auxiliis, audendum aliquid vel
 temere rati, omnes undique armati ad oppi-
 dum, quod proximum castris Bastarnarum
 erat, conveniunt (*f*). Hiems erat, & id
 anni tempus elegerant, ut Thraces Scordif-
 cique in fines suos abirent. Quod ubi ita
 factum, & solos jam esse Bastarnas audie-
 runt, bifariam dividunt copias: pars, ut
 recto itinere ad laceffendum ex aperto irer;
 pars, devio saltu circumducta, ab tergo ad-
 grederetur. Ceterum, priusquam circumire
 castra hostium possent, pugnatum est; victi-
 que Dardani compelluntur in urbem, quæ
 fere duodecim millia ab castris Bastarnarum
 aberat. Victores confestim circumfidunt ur-
 bem, haud dubie postero die aut metu dedi-

*Dardano-
 rum urbs
 circumses-
 sa.*

(f) *convenere* Gron. Crev.

U. c. 577.
a. C. 175.

SUPPLEM.
III.

Orof.
L. IV. C.
20.

Bastarnæ
Istro
absorbentur.

Appian.
Syr.
Antiochus
rex Syriae.

turis se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus, quæ circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine praesidio relicta] nullo negotio cepit. Bastarnæ, omni & comœatu & adparatu bellico, qui in castris fuerat, exuti, quum ejus reparandi facultas ex hostili regione, & infesto tempore anni, nulla esset, patrias sedes repetere statuerunt. Itaque ad Istrum regressi, non sine ingenti lætitiâ flumen alta concretum glacie obfenderunt, quæ nullum onus recusare videretur. Verum incumbente festinantium seque cursu adglomerantium hominum ac jumentorum toto simul agmine, glacies sub immenso pondere fatigans subito dissiluit, universumque agmen, quod diu sustinuerat, mediis gurgitibus, victa tandem & comminuta, destituit. Plurimi statim vorticibus hausti sunt. Multos enatare conantes crustæ dissolutæ fragmina superinducta merferunt. Pauci ex omni populo per utramque ripam vix concisis visceribus evasere.

2. Per ea tempora Antiochus Magni Antiochi filius, qui diu Romæ obses fuerat, mortuo Seleuco fratre Syriae regnum occupavit.

pavit. Namque Seleucus, quem Philopatora Græci vocavere, quum paternis cladibus fractas admodum Syriæ opes accepisset, post otiosum nullisque admodum rebus gestis nobilitatum annorum duodecim regnum, hunc minorem natu fratrem, misso Romam in ejus locum filio suo Demetrio, revocavit, ex fœderis legibus, quo mutari identidem obsides oportebat. Vix ille Athenas pervenerat, quum Seleucus infidiis Heliodori, unius ex Purpuratis, obpressus interiit. Hunc regnum adfectantem Eumenes & Attalus expulerunt, induxeruntque in ejus possessionem Antiochum, quem sibi hoc tanto beneficio devinctum habere magni æstimabant. Jam enim ob quasdam offensusculas suspectos habebant Romanos. Eorum auxiliis regno potitus Antiochus tanto populorum gaudio exceptus est, ut ei cognomen indiderint Epiphani, quod, quum alieni a stirpe regia regnum invaderent, ipse avitæ ditionis adfertor exortus suis illuxisset. Neque vero ei ad res bellicas defuit indoles & vigor animi. Verum ita pravus & inconsultus fuit in tota morum & instituendæ vitæ ratione, ut brevi,

U. c. 577.
a. C. 175.

Liv.
XXXVIII,
38.
Appian.

Cognomi-
natus
Epiphaneus

Deinde
Epimanes
ob mores
absurdos.

U. c. 577. cognomine mutato, pro Epiphane, Epimanes, id est insanus, vocitaretur.
a. C. 175

Polyb.
apud
Athen.
Libb. V. &
X. & Ptol.
Everg.
apud eum-
dem Li. X.
Diod. Sic.
apud
Vales.

3. Sæpe enim egressus e regia, incisiis ministris, uno aut altero comite, per urbem rosa coronatus, & auro textam indutus vestem incedebat, interdum lapidibus, quos sub ala gerebat, incessens obvios, interdum contra nummos in vulgus spargens, vociferansque, « sumat cui fortuna dederit. » Alias vero per aurificum, cælatorumque, & aliorum fabrorum officinas discurrebat, de cujusque arte ambitiose differens: nunc cum obvio quoque plebeiorum hominum sermones miscebat in publico: nunc circum popinas oberrans, cum ultimæ fortis peregrinis & advenis compotationi indulgebat. Si quos forte juvenes tempestivum celebrare convivium senserat, ipse statim cum poculo & symphonia improvisus aderat, commissabundus & lasciviens, ita ut rei novitate perculsi plerique se in fugam darent, partim metu conticescerent. In publicis quoque balneis cum turba eum lavare solitum fuisse constat. Ibi quum unguentis tamen pretiosissimis uteretur, ferunt quemdam ei de plebe hominem dixisse quondam: « Beatus es, o rex: un-

» unguenta maximi pretii o'es. » Cui ille, *U. c. 577*
 dicto delectatus, « jam te, [inquit] ita bea- *a. C. 175*
 » bo, ut saturum te esse fateare. » Et statim
 in ejus caput ingentem unguenti nobilissimi
 urnam effundi jussit. Ita ut, natante pavimen-
 to, in lubrico lapsantes tum ceteri, tum
 ipse rex inprimis cachinnos tollens concide-
 ret.

XX. POSTREMO sumpta loco vestis regiae
 toga, quemadmodum Romae a candidatis fieri
 viderat, forum circumibat, singulos e ple-
 be prensans amplexansque & modo aedilita-
 tem, modo tribunatum plebis petens : ac
 denique populi suffragiis magistratum adeptus
 Romano] more, sella eburnea posita, jus di-
 cebat, disceptabatque controversias minima-
 rum rerum. Adeoque nulli fortunae adhære-
 bat animus, per omnia genera vitae errans,
 uti nec sibi, nec aliis, quinam homo esset,
 satis constaret. Non adloqui amicos, vix
 notis familiariter adridere; munificentia in-
 æquali sese aliosque ludificari : quibusdam
 honoratis magnoque æstimantibus se puerilia,
 ut escæ aut lusus, munera dare; alios nihil
 expectantes ditare. Itaque nescire, quid sibi
 vellet, quibusdam videri. Quidam ludere

U. c. 577.
a. G. 175.

Ejus mu-
nificentia.

eum simpliciter, quidem haud dubie insanire aiebant. In duabus tamen magnis honestisque rebus vere regius erat animus, in urbium donis, & Deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circumdaturum urbi est pollicitus, majoremque partem pecuniæ dedit. Tegeæ theatrum magnificentum e marmore facere instituit. Cyzici in Prytaneum, id est penetrabile urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur, vasa aurea mensæ unius posuit. Rhodiis, ut nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quæque usus eorum postulerunt, dona dedit. Magnificentia vero in Deos vel Jovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine Dei, potest testis esse. Sed & Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit: & Antiochiæ Jovis Capitolini magnificentum templum, non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni ejus fuit, non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magnificentia superiores reges vicit; reliquorum sui moris, & copia Græcorum artificum. Gladiatorum munus Romanæ con-

Ludi,

fuetudinis primo majore cum terrore hominum, infuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate, dedit : deinde sæpius dando, & modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam, & familiare oculis gratumque id spectaculum fecit, & armorum studium plebisque juvenum accendit. Itaque, qui primo ab Roma magnis præmiis paratos gladiatores arcessere solitus erat, jam suo [e regno] voluntarios facile paravit gladiatores, operam ultro ad depugnandum exigua mercede obferentes. Ceterum eandem in edendis spectaculis, quam & in cetera vita, pravitatem animi levitatemque exhibuit, ut ludorum adparatu nihil magnificentius, nihil ipso rege vilius aut contemptius videretur. Quod quidem quum sæpe alias, tum maxime in iis ludis adparuit, quos, æmulatus eorum magnificentiam qui a Paulo in Macedonia post devictum Persea dati fuerant, inmani sumptu, nec minore suo dedecore, Antiochiæ edidit. Verum ad Romanas res revertamur, a quibus nos longius abstraxit hujus regis mentio.

XXI. 2. TI. SEMPRONIUS Gracchus qui per biennium Sardiniam obtinuerat, tradita

U. c. 577.
a. C. 175.

SUPPL.

Polyb. &
Diod. ubi
supra.

Supr. c. 17.
Infr. c. 21.

U. c. 577.
a. C. 175.
Infr. c. 28.

Auctor de
vir. illust.
Fest. V.
Sardi ve-
nales.
Fasti Cap.
Adde Pig-
hium.
Comitia.

Africani
filius ope
Cicereii
prator.
Val. Max.
IV. 5. &
III. 5.

Ser. Cornelio Sullæ prætori provincia, re-
versus Romam triumphavit de Sardis. Tan-
tam captivorum multitudinem ex ea insula
illum abduxisse ferunt, ut longa eorum ven-
ditione res in proverbium venerit & « Sardi
» venales » pro rebus vilibus vulgari joco
celebrati fuerint. Triumphaverunt & con-
sules ambo, Scævola de Liguribus, Lepidus
de iisdem & Gallis. Tum comitia magistra-
tuum in insequentem annum habita. Creati
consules sunt Sp. Postumius Albinus, Q.
Mucius Scævola. Prætoris comitiis fortuna
inter ceteros candidatos P. Africani filium
L. Cornelium Scipionem, sive is Cnæus fuit,
non sine magna invidia in certamen conjecit
cum C. Cicereio, qui patris ejus scriba
fuerat. Nam quinque jam nominatis præto-
ribus, C. Cassio Longino, P. Furio Philo;
L. Claudio Afello, M. Atilio Serrano, Cn.
Servilio Cæpione, quum extremo saltem
loco adhærescere Scipio niteretur, adeo a
patris virtutibus degenerasse visus est, ut
omnium centuriarum suffragiis ei Cicereius
anteferretur, nisi hic sive fortunæ crimen,
sive comitiorum errorem modestia sua emen-
dasset. In hoc campestri certamine patroni sui

filium vincere non sustinuit, abjectaque statim candida toga, ex competitore de victoria certo gratus cliens: & competitoris sui suffragator factus est. Sic honorem, quem à populo impetraturus Scipio non videbatur, ope Cicereii consecutus est, majore Cicereii gloria, quam sua. Consulibus provinciæ adsignatæ sunt. Gallia & Ligures. Mox fortiti prætores, C. Cassius Longinus urbanam jurisdictionem obtinuit, L. C. Scipio inter peregrinos. M. Atilio prætori provincia Sardinia obvenerat: sed cum legione nova, quam consules conscripserant, quinque millibus peditum trecentis equitibus, in Corsicam jussus est transire. Dum is ibi bellum gereret, Cornelio prorogatum imperium, uti obtineret Sardiniam. Cn. Servilio Cæpioni in Hispaniam ulteriorem, & P. Furio Philo in citiorem tria millia peditum Romanorum, equites centum quinquaginta, & socium Latini nominis quinque millia peditum, trecenti equites: Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas præterea legiones consules scribere jussi, cum justo numero peditum equitumque, & decem millia peditum sociis imperare, & sexcentos equites. Delectus

*U. c. 578.
a. C. 174.*

*Sp. Postumio, Q.
Mucio
Coss.
Provinciae.*

*U. e. 578.
a. C. 174.*

Pestilentia

consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quæ priore anno in boves ingruerat, eo verteret (c) in hominum morbos. Qui inciderant, haud facile septimum diem superabant: qui superaverant (f), longinquo, maxime quartanæ, implicabantur morbo. Servitia maxime moriebantur. Eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus Libitina subiciebat. Cadavera, intacta a canibus ac vulturibus, tabes absumebat: satisque constabat, nec illo, nec priore anno, in tanta strage boum hominumque, vulturium usquam visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt, Cn. Servilius Cæpio pontifex, pater prætoris, & Ti. Sempronius Ti. F. (g) Longus decemvir sacrorum, & P. Ælius Pætus augur, & Ti. Sempronius Gracchus, & C. Mamilius Vitulus curio maximus, & M. Sempronius Tuditanus pontifex. Pontifices subfecti sunt, C. Sulpicius Galba *** in locum Tuditani.

(c) *verterat Gron. Crev.*

(f) *superabant Gron. Crev.*

(g) *Ti. F. I. C. F. Gron.*

*** Excidit nomen pontificis, qui in locum Cæpionis demortui subfectus est.

Augures subfecti sunt, in Gracchi locum T. *U. c. 578.*
 Veturius Gracchus Sempronianus, in P. Ælii *a. C. 174.*

Q. Ælius Pætus. Decemvir sacrorum C. Sempronius Longus, curio maximus C. Scribonius Curio subficitur. Quum pestilentiae finis non fieret, senatus decrevit, uti decemviri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem unum supplicatio fuit. Et, Q. Marcio Philippo verba præeunte, populus in foro votum concepit: « Si morbus pestilentiaeque ex agro Romano emota esset, » biduum ferias ac supplicationem se habiturum. » In Veienti agro biceps natus puer, *Prodigia.* & Sinuessæ unimanus, & Auximi (i) puella cum dentibus; & arcus interdiu fereno caelo super ædem Saturni in foro Romano intentus, & tres simul soles effulserunt: & faces eadem nocte plures per caelum lapsæ sunt in Lanuvino: Cæritesque anguem in oppido suo jubatum, aureis maculis sparsum, adparuisse adfirmabant. Et, in agro Campano bovem locutum esse, fatis constabat.

XXII. LEGATI Nonis Juniis (k) ex Africa redierunt, qui, convento prius Masinissa

(i) Oximi Gron. Crev.

(k) Junii Gron. Crev.

*U. c. 578.
a. C. 174.*

rege, Carthaginem ierant : ceterum certius aliquanto, quæ Carthagine acta essent, ab rege rescierant, quam ab ipsis Carthaginensibus. Compertum tamen adfirmaverunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in aede Æsculapii datum esse. Ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, & rex adfirmaverat, & ipsi parum constanter negaverant. In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit. Tres missi sunt, C. Lælius, M. Valerius Messalla, Sex. Digitius. Perseus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, & de quibus ambigebatur rebus, disceptationem ab rege ad Romanos revocabant, cum exercitu profectus, sub jus iudiciumque suum totam coëgit gentem. Inde, per Cætæos montes transgressus, religionibus quibusdam animo objectis, oraculum aditurus Delphos ascendit. Quum in media repente Græcia adparuisset, magnum non finitimis modo urbibus terrorem præbuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuncius tumultus ejus venit. Triduum, non plus, Delphis moratus, per Phthiotidem Achaiam, Thessaliamque, sine damno injuriaque agrorum, per quos iter

*Persei iter
Delphos.*

fecit, in regnum rediit. Nec earum tantum *U. e. 578.*
 civitatum, per quas iturus erat, satis habuit *a. c. 174.*
 animos sibi conciliare : aut (1) legatos, aut
 literas dimisit, petens, « ne diutius simul-
 » tatum, quæ cum patre suo fuissent, memi-
 » nissent. Nec enim tam atroces fuisse eas,
 » ut non cum ipso potuerint, ac debuerint,
 » finiri. Secum quidem omnia illis integra
 » esse ad instituendam fideliter amicitiam.»
 Cum Achæorum maxime gente reconciliandæ
 gratiæ viam quærebat.

*Viam quæ
 ritreconci-
 liandæ
 cum
 Achæis
 gratiæ.*

XXIII. HÆC una ex omni Græcia gens,
 & Atheniensium civitas, eo processerat irarum,
 ut finibus interdiceret Macedonibus. Itaque
 servitiis ex Achaia fugientibus receptaculum
 Macedonia erat : quia, quum finibus suis
 interdixissent, intrare regni terminos ipsi
 non audebant. Id quum Perseus animadvertisset,
 comprehensis omnibus literas [* ad Achæos misit,
 quibus se servos eorum, qui ad se transfugerant,
 benigne

(1) *sed aut Gron.*

* Quæ uncis includuntur, ex Sigonii mente ad-
 jecta sunt : & nituntur iis quæ in ipsa oratione
 dicuntur a Callicrate : *Inde literas ad nos cum
 muneris specie misit, & cogitare jubet, quomodo in
 reliquum hoc munere non egeamus.*

D. c. 578. remittere illis scripsit.] Ceterum, ne similibus
a. C. 174. fuga servorum postea fieret, cogitandum & illis esse. Recitatis his literis per Xenarchum prætorem, qui privatæ gratiæ aditum apud regem quærebat, & plerisque moderate & benigne scriptas esse censentibus literas, atque his maxime, qui præter spem recepturi essent amissa mancipia; Callicrates ex iis, qui in eo verti salutem gentis crederent, si cum Romanis inviolatum fœdus servaretur,

*Callicratis
 adversus
 regem
 oratio.*

« Parva [inquit] aut mediocris res, Achæi,
 » quibusdam videtur agi; ego maxime gra-
 » vissimam omnium, non agique tantum arbi-
 » tror, sed quodam modo actam esse. Nam
 » qui regibus Macedonum, Macedonibusque
 » ipsis, finibus interdixissemus, manereque
 » id decretum, scilicet, ne legatos, ne nun-
 » cios admitteremus regum, per quos ali-
 » quorum ex nobis animi sollicitarentur; ii
 » concionantem quodam modo absentem au-
 » dimus regem, & si Diis placet, oratio-
 » nem ejus probamus. Et, quum feræ bestiæ
 » cibum ad fraudem suam positum plerum-
 » que adspersentur & refugiant, nos cæci,
 » specie parvi beneficii, inescamur: &
 » servulorum minimi pretii recipiendorum

LIBER XLI CAP. XXIII 61

» spe, nostram ipsorum libertatem subruī *U. c. 578.*
 » & tentari patimur. Quis enim non videt, *a. C. 174.*
 » viam regiæ societatis quæri, qua Romanum
 » fœdus, quo nostra omnia continentur, vio-
 » letur? Nisi hoc dubium alicui est, bellan-
 » dum Romanis cum Perseo esse, &, quod
 » vivo Philippo expectatum, morte ejus in-
 » terpellatum est, id post mortem Philippi
 » futurum. Duos, ut scitis, habuit filios
 » Philippus, Demetrium & Persea. Genere
 » materno, virtute, ingenio, favore Mace-
 » donum, longe præstitit Demetrius. Sed
 » quia in Romanos odii regnum posuerat præ-
 » mium, Demetrium nullo alio crimine, quam
 » Romanæ amicitiae inita, occidit: Persea,
 » quem populus Romanus prius poenæ, quam
 » regni, hæredem futurum sciebat, regem
 » fecit. Itaque quid hic post mortem patris
 » egit aliud, quam bellum paravit? Bastarnas
 » primum ad terrorem omnium in Dardaniam
 » innisit: qui si sedem eam tenuissent, gra-
 » vios eos adcolas Græcia habuisset, quam
 » Asia Gallos habeat. Ea spe depulsus, non
 » tamen belli consilia omisit: immo, si vera
 » volumus dicere, jam inchoavit bellum.
 » Dolopiam armis subegit, nec provinciis de

U. c. 578. » controversis ad disceptationem populum
 a. C. 174. » Romanum adivit (m). Inde, transgressus
 » Etiam, ut repente in medio umbilico Græ-
 » ciæ couspiceretur, Delphos adscendit. Hæc
 » usurpatio itineris insoliti quo vobis spectare
 » videtur? Thessaliam deinde peragravit.
 » Quod sine ullius eorum, quos oderat, no-
 » xia, hoc magis tentationem metuo. Inde
 » literas ad nos cum muneris specie misit,
 » & cogitare jubet, quo modo in reliquum
 » hoc munere non egeamus; hoc est, ut de-
 » cretum, quo arcentur Pelopponeso Mace-
 » dones, tollamus; rursus legatos regios,
 » & hospitia cum principibus & mox Mace-
 » donum exercitus, ipsum quoque a Delphis
 » (quantum enim interluit fretum?) traji-
 » cientem in Pelopponesum videamus, inmis-
 » ceamur Macedonibus armantibus se adver-
 » sus Romanos. Ego nihil novi censeo decer-
 » nendum, servandaque omnia integra, do-
 » nec ad certum dirigatur (n), vanusne hic
 » timor noster, an verus fuerit. Si pax invio-

(m) *populi Romani audivit Gron. nec provo-
 cantes de controversiis ad disceptationem populū
 Romani audivit Crev.*

(n) *redigatur Gron. Crev.*

» lata inter Macedonas Romanosque mane-
 » bit, nobis quoque amicitia & commercium
 » sit : nunc de eo cogitare periculofum &
 » in maturum videtur. »

XXIV. Post hunc Arco, frater Xenarchi
 prætoris, ita differuit : « Difficilem oratio-
 » nem Callicrates, & mihi, & omnibus, qui
 » ab eo dissentimus, fecit : agendo enim Ro-
 » manæ societatis cauffam ipfe, tentarique &
 » obpugnari dicendo, quam nemo neque ten-
 » tat, neque obpugnat, effecit, ut, qui ab
 » fe dissentiret, adversus Romanos dicere vi-
 » deretur. Ac primum omnium, tamquam
 » non hic nobiscum fuiffet, fed aut ex curia
 » populi Romani veniret, aut regum arcanis
 » interesset, omnia fcit & nunciat, quæ oc-
 » culte facta sunt. Divinat etiam, quæ futura
 » fuerant, si Philippus vixiffet : quid ita Per-
 » feus regni hæres fit, quid parent Macedo-
 » nes, quid cogitent Romani. Nos autem,
 » qui, nec ob quam cauffam, nec quemad-
 » modum perierit Demetrius, fcimus; nec
 » quid Philippus, si vixiffet, facturus fuerat,
 » (o) ad hæc, quæ palam geruntur, confilia
 » noftra adcommo-
 » dore oportet. Ac fcimus,

*U. e. 578.
 a. C. 174.*

*Arco
 Callicrati
 respondet.*

(o) fuerit Gron. Crev.

U. c. 378. » Persea, regno accepto, ad legatos Roma
 a. C. 147. » nos venisse, ac regem Persea a populo
 » Romano adpellatum: audimus, legatos Ro-
 » manos venisse ad regem, & eos benigne
 » exceptos (p). Hæc omnia pacis equidem
 » signa esse judico, non belli: nec Romanos
 » offendi posse, si, ut bellum gerentes eos
 » secuti sumus, nunc quoque pacis auctores
 » sequamur. Cur quidem nos inexpiable
 » omnium soli bellum adversus regnum Ma-
 » cædonum geramus, non video. Obportuni
 » propinquitate ipsa Macedonia sumus; an
 » infirmissimi omnium, tamquam, quos nu-
 » per subjecit, Dolopes? immo contra ea,
 » vel viribus nostris, Deum benignitate, vel
 » regionis intervallo tuti. Sed sumus æque
 » subjecti ac Thessali Ætolique; nihilo plus
 » fidei auctoritatisque habemus adversus Ro-
 » manos, qui semper focii atque amici fui-
 » mus, quam Ætoli, qui paullo ante hostes
 » fuerunt. Quod Ætolis, quod Thessalis,
 » quod Epirotis, omni denique Græciæ cum
 » Macedonibus juris est, idem & nobis fit.
 » Cur execrabilis ista nobis solis velut deser-
 » tio juris humani est? Fecerit aliquid Philip-

(p) acceptos Gron, Crev.

» pus,

» pus, cur adversus eum armatum & bellum
 » gerentem hoc decerneremus: quid Perseus,
 » novus rex, omnis injuriæ insons, suo bene-
 » ficio paternas simultates obliterans, meruit?
 » cur soli omnium hostes ei sumus? Quam-
 » quam & illud dicere poteram, tanta prio-
 » rum Macedoniae regum merita erga nos
 » fuisse, ut Philippi unius injurias, si quæ
 » forte fuerunt, [oblivisci deberemus] * uti-
 » que post mortem. Quum classis Romana
 » Cenchreis staret, consul cum exercitu
 » Elatiæ esset, triduum in concilio fuimus,
 » consultantes, utrum Romanos, an Philip-
 » pum, sequeremur. Nonnihil metus præfens
 » ab Romanis sententias nostras inclinavit:
 » fuit certe tamen aliquid, quod tam longam
 » deliberationem fecerat (q): id quod erat
 » vetusta conjunctio cum Macedonibus, ve-
 » tera & magna in nos regum merita. Va-
 » leant & nunc eadem illa, non ut præcipue
 » amici, sed ne præcipue inimici simus. Ne
 » id, quod non agitur, Callicrates, simula-
 » verimus. Nemo novæ societatis aut novi
 » foederis, quo nos temere inligemus, con-

* Per voces uncis inclusas Clericus supplet quod
 deest. (q) *faceret Gron. Crev.*

U. e. 578.
 a. C. 174.

174
 174

174
 174

U. e. 578.
a. C. 174.

» scribendi est auctor : sed commercium tan-
 » tum juris præbendi repetendique sit , ne
 » interdictione finium nostrorum & nos quo-
 » que regno arceamus , ne servis nostris ali-
 » quo fugere liceat. Quid hoc adversus Ro-
 » mana fœdera est ? Quid rem parvam &
 » apertam , magnam & suspectam facimus ?
 » Quid vanos tumultus ciemus ? Quid ut
 » ipsi locum adsentandi Romanis habeamus ,
 » suspectos alios ac invisos efficimus ? Si
 » bellum erit , ne Perseus quidem dubitat ,
 » quin Romanos secuturi simus. In pace
 » etiam , si non odia finiuntur , intermittan-
 » tur. » Quum iidem huic orationi , qui
 literis regis adsentierant (r) , adsentirentur ,
 indignatione principum , quod , quam rem ne
 legatione quidem dignam judicasset Perseus ,
 literis paucorum versuum impetraret , decre-
 tum differtur. Legati deinde postea missi ab
 rege , quum Megalopoli concilium esset ;
 dataque opera est ab iis , qui offensionem
 apud Romanos timebant , ne admitterentur.

*Ætolorum
 discordiæ.*

XXXV. PER hæc tempora Ætolorum in
 semet ipsos versus furor mutuis cædibus ad
 internecionem adducturus videbatur gentem.

(r) adsentierant del. Crev.

Fessi deinde & Romam utraque pars miserunt legatos, & inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant : quæ novo facinore discussa res veteres etiam iras excitavit. Exsulibus Hypatæis, qui factionis Proxeni erant, quum reditus in patriam promissus esset, fidesque data per principem civitatis Eupolemum, octoginta inlustres homines, quibus redeuntibus inter ceteram multitudinem Eupolemus etiam (s) obvius exierat, quum salutatione benigni excepti essent, dextræque datæ, ingredientes portam, fidem datam Deosque testes nequidquam invocantes, interfecti sunt. Inde gravius de integro bellum exarsit. C. Valerius Lævinus, & Ap. Claudius Pulcher, & C. Memmius, & M. Popilius, & L. Canuleius missi ab senatu venerant. Apud eos quum Delphis utriusque partis legati magno certamine agerent, Proxenus maxime, quum causa, tum eloquentia, præstare visus est; qui paucos post dies ab Orthobula uxore veneno est sublatu: damnataque eo crimine, in exilium abiit. Idem furor & Cretenfes lacerabat. Adventu deinde Q. Minucii legati, qui cum decem navibus

U. a. 578:

a. C. 174:

Cretensum
diffidia.

(s) etiam del. Gron. Crey.

U. c. 578. missus ad sedanda eorum certamina erat ;
a. C. 174. in spem pacis venerant. Ceterum induciæ &
 antea sex mensium fuerunt : inde multo gra-
 vius bellum exarsit. Lycii quoque per idem
 tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed
 externorum inter se bella, quo quæque modo
 gesta sunt, persequi non operæ est satis su-
 perque oneris sustinenti res a populo Roma-
 no gestas scribere.

*Celtibero-
 rum
 rebellio.*

XXVI. CELTIBERI in Hispania, qui bello
 domiti se Ti. Graccho dederant, pacati
 manserant M. Titinio prætore obtinente pro-
 vinciam. Rebellarunt sub adventum Ap.
 Claudii, orsique bellum sunt ab repentina
 obpugnatione castrorum Romanorum. Prima
 lux ferme erat, quum vigiles in vallo, qui-
 que in portarum stationibus erant, quum
 vidissent procul venientem hostem, ad arma
 conclamaverunt. Ap. Claudius, signo propo-
 sito pugnæ, ac paucis adhortatus milites,
 tribus simul portis eduxit. Obsistentibus ad
 exitum Celtiberis, primo par utrumque (t)
 proelium fuit, quia propter angustias non
 omnes in faucibus pugnare poterant Romani:
 urgentes deinde alii alios secuti evaserunt

(t) *utrimque Gron. Crev.*

extra vallum, ut pandere aciem, & exæquari *U. c. 578.*
 cornibus hostibus, quibus circumibantur, *a. C. 174.*
 possent. Ita repente eruperunt, ut sustinere
 inpetum eorum Celtiberi nequirent. Ante
 horam secundam pulsi sunt: ad quindecim
 millia cæsa aut capta: signa ademta duo &
 triginta. Castra etiam eo die expugnata,
 debellatumque. Nam, qui superfuere prælio,
 in oppida sua dilapsi sunt. Quieti deinde
 paruerunt imperio.

XXVII. CENSORES eo anno creati Q. *Censores.*
 Fulvius Flaccus & A. Postumius Albinus
 legerunt senatum: princeps lectus M. Æmi-
 lius Lepidus pontifex maximus. De senatu
 novem eiecerunt. Insignes notæ fuerunt M.
 Cornelii Maluginensis, qui biennio ante
 prætor in Hispania fuerat; & L. Cornelii
 Scipionis prætoris, cujus tum inter cives &
 peregrinos iurisdictio erat; & Cn. Fulvii,
 qui frater Germanus &, ut Valerius Antias
 tradit, consors etiam censoris erat. Consules,
 votis etiam in Capitolio nuncupatis, in pro-
 vincias profecti sunt. Ex iis M. Æmilio se-
 natus negotium dedit, ut Patavinorum in
 Venetia seditionem comprimeret, quos cer-
 tamine factionum ad intestinum bellum exar-

U. c. 578. a. C. 174. *filice*, & ipsorum legati adtulerant. Legati, qui in Ætoliam ad similes motus comprimendos ierant, renunciarunt, coërceri rabiem gentis non posse. Patavinis salutis fuit adventus consulis: neque aliud, quod ageret in provincia, quum habuisset, Romam rediit. Censores vias sternendas filice in urbe, glareæ extra urbem substruendas (u) marginandasque primi omnium locaverunt, pontesque multis locis faciendos: & scenam ædilibus prætoribusque præbendam: & carceres in circo, & ova ad notas curriculis numerandis, & * dam, & metas trans * & caveas ferreas per * intromitterentur * ferreis in monte Albano consulibus (x), & clivum Capitolinum filice sternendum curaverunt, & porticum ab æde Saturni in Capitolium ad senaculum, ac super id curiam.

Eorum opera.

(u) *substernendas* Gron. Crev.

(x) Locum hunc utcumque explet Marcellus Donatus, atque ita legendum putat, censores curasse carceres in circo faciendos, & ova ad notas curriculis numerandas, & rhedam, & metas transitus, & caveas ferreas, per quas intromitterentur feræ. Sed his etiam receptis conjecturis, quomodo ista cohærebunt verbis quæ sequuntur, in monte Albano consulibus?

Et extra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, stipitibusque seperunt: & porticum Æmiliam reficiendam curarunt: gradibusque adscensum ab Tiberi in emporium fecerunt. Et extra eandem portam in Aventinum porticum filice straverunt, & eo publico ab æde Veneris fecerunt. Iidem Galatiæ & Auximi muros faciendos locaverunt, venditisque ibi publicis locis, pecuniam, quæ redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumserunt. Et alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil, nisi senatus Romani populivè jussu, se locaturum ipforum pecunia *) Jovis ædem Pisauri & Fundis, & Pollentiæ etiam aquam adducendam, & Pisauri viam filice sternendam, & Sinuessam a ga * aviariæ: in his & cloacum circumducend * & forum porticibus tabernisque claudendum, & Janos tres faciendos (y). Hæc ab uno cenfore opera locata,

(y) Locus corruptus forte sic legendus: & alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil, nisi senatus Romani populivè jussu, se locaturum pecunia dicebat) Jovis ædem Pisauri & Fundis, & Pollentiam aquam adducendam, & Pisauri viam filice sternendam, & Sinuessæ magna opera ac varia: in his & cloacam in fluvium circumducendam, &

U. s. 578. cum magna gratia colonorum. Moribus quo-
a. C. 174. que regendis diligens & severa censura fuit,
 Multis equi ademti.

XXVIII. EXITU prope anni diem unum
 supplicatio fuit ob res prospere gestas in
 Hispania ductu auspicioque Ap. Claudii pro-
 consulis : & majoribus hostiis viginti sacri-
 ficatum. Et alterum diem supplicatio ad Ce-
 reris, Liberi, Liberæque fuit, quod ex Sa-
 binis terræ motus ingens cum multis ædifi-
 ciorum ruinis nunciatus erat. Quum Ap.
 Claudius ex Hispania Romam redisset, de-
 crevit senatus, ut ovans urbem iniret. Jam
 comitularia comitia adpetebant; quibus, magna
 contentione habitis propter multitudinem
 petentium, creati L. Postumius Albinus &
 M. Popillius Lænas. Prætores inde facti, N.
 Fabius Buteo, M. Matienus, C. Cicereius,
 M. Furius Crassipes iterum, A. Atilius Ser-
 ranus iterum, C. Fulvius Saxula iterum.
 Comitiiis perfectis, Ap. Claudius Cæntho,
 ex Celtiberis ovans quum in urbem iniret,
 decem millia pondo argenti, quinque millia

Comitia.

*forum porticibus tabernisque claudendum, & Janos
 tres faciendos. Hæc emendavimus ex conjecturis
 partim Sigonii, partim Crevierii & Drakenborchii.*

auri in ærarium tulit. Flamen Dialis inauguratus est Cn. Cornelius. Eodem anno tabula in ædem (z) Matris Maturæ cum indice hoc posita est : « Ti. Sempronii Gracchi » consulis imperio auspicioque legio exercitusque populi Romani Sardiniam subegit. » In ea provincia hostium cæsa aut capta » supra octoginta millia. Republica felicissime gesta, atque liberatis vectigalibus * » restitutis, exercitum salvum atque incolumen plenissimum præda domum reportavit. » Iterum triumphans in urbem Romam rediit. » Cujus rei ergo hanc tabulam donum Jovi » dedit. » Sardinia insulæ forma erat, atque in ea simulacra pugnarum picta. Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data; unum ante cetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis causa patris sui, cum visceratione epuloque & ludis scenicis, quatrimum dedit. Magni tamen muneris ea summa fuit, ut per triduum quatuor & septuaginta homines pugnarint.

(z) *ade Gron. Crev.*

* Deesse vox aliqua videtur. Sig. & Crev. legendum existimant *liberatis vectigalibus & reip. restitutis*. Gron. conjicit : *sociisque restitutis*.

*U. c. 578.
a. C. 174.*

*Tabula in
æde Matris
Maturæ a
Graccho
posita.*

U. c. 578.
a. C. 174.

SUPPL.
Lex Voco-
nia.

I. FINIS hujus anni insignis est nova, ea-
que magni momenti lege, quæ non sine ali-
quo motu animorum agitata civitatem exer-
cuit. Hactenus feminas non minus quam viros
ad hæreditates admitti jus fuerat : inde fie-
bat, ut illustrissimarum sæpe familiarum bo-
na in alienas domos transfunderentur, magno
cum reipublicæ damno, cujus interest cla-
rorum nominum hæredibus suppetere opes,
quibus splendorem generis, onus alioqui
magis quam decus, tutari & exornare possint.
Deinde etiam, quum crescentibus jam imperii
opibus crescerent quoque privatorum divitiæ,
metus erat, ne pronior natura in luxum &
elegantioris cultus adfectionem muliebris
animus, nactus ex adfluentia opum cupiditatis
inritamenta, in sumptus immodicos atque in
luxuriam prolaberetur, ac deinde a prisca
fortasse sanctitate descisceret, nec minor
fieret morum quam cultus mutatio. His
incommodis obviam ire statuit Q. Volumnius
Saxa tribunus plebis, tulitque ad populum :
« Ne quis, qui post A. Postumium,
» Q. Fulvium censes census esset, hæredem
» virginem, neve mulierem faceret : neve
» ulli virgini, vel mulieri, bona cujusquam

Cic. 1. in
Verr.
Cap. 42.
Dio,
L. LVI.

» liceret hæreditate percipere ultra centum
 » millia sestertium. » Sed & cavendum quo-
 que duxit Voconius, ne magnitudine lega-
 torum hæreditates, quod fiebat interdum,
 exhaurirentur. Adjecit igitur rogationi, « Ne
 » quis plus cuiquam legaret, quam ad hæ-
 » redem hæredesve perveniret. » Atque hoc
 quidem posterius legis caput facile se populo
 probabat, quod & æquissimum videretur,
 nec cuiquam magnopere grave esset. De
 priore, quo removebantur feminæ ab omnium
 omnino civium hæreditatibus, ambigebatur.
 Dubitationem exemit M. Cato, acerrimus
 jam olim in defendenda lege Oppia mulierum
 adversarius & castigator, qui & hanc quo-
 que majoris momenti adversus illas legem
 annos natus quinque & sexaginta, magna voce
 & bonis lateribus, suavit, pro solita asperi-
 tate in muliebrem investus inpotentiam,
 intolerandosque in opulentia spiritus: quum
 hinc quoque argueret divitum matronarum
 fastum & adrogantiam, « quod illæ, magna
 » sæpe dote marito adlata, magnam sibi pecu-

U. c. 578.
 a. C. 174.

Cic. 1. in
 Verr.
 Cap. 43.

Liv.
 XXXIV.
 1. & seq.

Cic. de
 Sen. C. 5.

Cato apud
 A. Gell.
 XVII. 6.

U. c. 578. » niam reciperent ac retinerent, eamque pe-
a. C. 174. » cuniam ita postea viro roganti mutua
 » darent, ut, quoties iratae essent, statim
 » per receptitium servum consecrantem &
 » quotidie flagitantem solutionem, maritum
 » tanquam debitorem extraneum inopportune
 » cogerent. » Hac indignatione commoti le-
 gem, uti rogabat Voconius, accipiendam
 censuerunt.